



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. IV. Præcluditur aditus evasionibus Adversariorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

constat ex nomine regni: sola enim gloria nomen regni absolute meretur. Quod autem praevia merita antecedit, indicat nomen patris, quo Deus non insignitur quando ex meritis movetur, sed nomine iusti iudicis, juxta illud 2. ad Timot. 4. *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Super quem locum videatur Nicolaus de Lira.

Secundum testimonium sumitur ex Apostolo ad Ephel. 1. ubi gratitiam Dei praedestinationem mirum in modum commendat, his verbis: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae.* Quo loco loqui Apostolum de electione ad gloriam in se, non verò ad gratiam, quae est gloria virtualiter & in semine, patet. Tum quia loquitur de illis quos benedixit Deus omni benedictione spirituali in caelestibus; gratia autem quae est repta obis, & praedestinati communis, nec est omnis benedictio spiritualis, quia deest ei perseverantia ultima, & gloriificatio; nec est benedictio in caelestibus, cum illa detur etiam viatoribus adhuc in terra degeantibus. Tum etiam quia Glossa Angelica explicans illa verba, *Ut essemus sancti, addit, in aeterna beatitudine.* Favent etiam illa verba, *In conspectu eius,* hoc est cum conspiciendo, ut explieat D. Thomas ibidem. Hanc ergo electionem praedestinatorum ad gloriam, esse purè gratuitam, & antecedere praevisionem meritum, docet Apostolus: *Primò quia ait Deum non eligere, non quia futuri eramus sancti, sed ut essemus sancti, ac proinde ceteris nostram sanctitatem, nostraque merita, non esse motiva, sed effectus divinae praedestinationis.* Unde Hieronymus in illum locum Apostoli. *Non eliguntur Paulus & qui ei similes sunt, quia erant sancti & immaculati, sed eliguntur & praedestinantur, ut consequenti vita, per opera atque virtutes sancti ac immaculati sint.* Secundò, quia talem electionem tribuit solo beneplacito voluntatis divinae: *Praedestinavit nos (inquit) secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae.* Tertio, quia ibidem talem electionem nomine sortis appellat, ad significandum, illam nullam habere causam ex parte nostri, sed ex solo beneplacito divinae voluntatis pendere, ut infra magis ponderabimus. Unde Augustinus de praedest. Sanct. cap. 18. versans illum locum Apostoli: *Elegit nos (inquit) Deus in Christo ante mundi constitutionem, praedestinavit nos in adoptionem filiorum &c.* Fecit hoc secundum placitum voluntatis suae, in nemo de sua, sed de illius erga se voluntate gloriatur. Fecit hoc secundum divitias gratiae suae, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilectio filio suo, in quo sortem consecutus sumus, praedestinati secundum propositum, non nostrum, sed eius qui universa operatur.

§. III.

Aliud celebre Apostoli testimonium expenditur.

Aliud eisdem Apostoli testimonium, habetur capite 9. Epistolae ad Romanos ubi de causa nostra praedestinationis ex infra-to differens, eam referre in solam Dei misericordiam voluntatem, eligentis hos, & relinquens alios; & ad hoc probandum inducit exemplum duorum geminorum, Jacob & Esau, qui ante nondum nati essent, nec aliquid boni egissent aut mali, non ex operibus, sed ex vocante didum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et paulò post: *Miserere cuius misereor, & misericordiam praestabo uti miserebor.* (Id est, ut claris dicitur Exod. 33. *Miserere cui voluero; & clemensero in quem misereboris.*) Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Et postea: *Cujus vult misereor, & quem vult indurare; scilicet non impariendo malitiam, sed non impariendo misericordiam;* inquit Augustinus Epistolà 10. ad Sixtum.

Sed quia hinc videbatur sequi importunum illud argumentum, quòd videlicet Deus in iustis conquiritur de hominibus, situm hoc et ejus voluntate pendet; *Volentis enim ejus qui resistit?* Ad illud solvendum inducit exemplum figuli, & addit: *O homo tu quis es qui resistis Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se fixit, quid tu fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliquid quidem vas in honorem, aliquid verò in contumeliam? &c.* Quorum verborum, accipio, talis est sensus: quòd pro absoluto dominio possit Deus praedestinare quos voluerit, ad ostensionem gloriae & virtutis suae, etiam nullà inaequalitate procedente; sicut figulus eadem massa pro suo placito format vasa ad finem tam diversos: ita ut quaedam usui honorabili deserviant, scilicet ad potum & cibum; aliam autem ad turpem, & ad recipienda excrementa. Unde D. Thomas hunc locum exponens ait: *Deus liberam potestatem habet facere ex eadem corrupta materia humani generis, sicut ex quodam luto, nulli faciendo injuriam, quosdam homines preparatos ad gloriam, quosdam autem in miseria drelitit.* Jerem. 18. *Sicut latus in manu figuli, ita in manu mea vos diximus Israel.*

Alià utitur comparatione S. Thomas hic cap. 5. ad 3. ubi docet, quòd sicut ex simplici Architec-ti voluntate pendet quòd hic lapis sit in illa parte parietis, ille in alia: ita ex simplici Dei voluntate est quòd iste praedestinat us sit, non reliquus ille. Concludamus ergo cum eodem Apostolo cap. 11. ejusdem Epistolae ad Romanos. *O altitudo divitiarum sapientiae Dei, quam incomprehensibilis sunt judicium ejus! &c.* Vel dicamus cum Tertuliano: *O profundum divitiarum sophia Dei, ut investigabilia judicium ejus, utique Dei judicium, ita & investigabiles viae ejus, utique intellectus & scientiae, quas ei nemo monstraverit, nisi forte isti confiteri divinitatis, dicentes, sic non debuit Deus, & sic magis debuit.*

§. IV.

Pracluditur aditus evasionebus Adversariorum.

Tam clarum & evidens Apostoli testimonium, multipliciter conatur eludere Adversarii.

verfari. In primis enim respondet Molina hinc articulo i. disputatione 5. membro 11. & Lessius de prædestinatione lect. 3. numero 32. Scripturam ibi non loqui de electione Jacob ad gloriam & hereditatem cœlestem, sed solum de electione ad bona temporalia, in quibus Jacob fuit prælatum Esau, & populus Israeliticus Idumæo descendenti ab Esau, ac oraculum illud Malachie Prophete fuisse impletum tempore David, 2. Regum 8. ubi dicitur: *Facta est universa Idumæa sicut in diebus David.*

Sed contra: Licet verba illa Malachie ad litteram intelligantur de ipsis personis Jacob & Esau, vel de populis ab utroque natis, deque eorum temporali prosperitate ac successu in æquationem certum est illa adduci à Paulo, ad declarandum inscrutabile prædestinationis mysterium, & ad demonstrandum, prædestinationem electionem, & reproborum ejectionem, etiam eorum operibus, sed ex solo divina voluntatis arbitrio esse; ibique induci Jacob in exemplum omnium electorum, & Esau in exemplum reproborum, ut tradunt Magister in 1. 2. d. 1. Thomas hic art. 3. in argum. *sed contra.* & ad Roman. 9. lect. 2. & Cajetanus ibidem, adduntque hunc esse communem sensum Patrum veterum que Ecclesie tam Græcæ quam Latinæ: de quo etiam videri potest Bellarminus lib. 2. de gratia cap. 10. Unde ex prædicto testimonio declaratur argumentum efficax ad gratuitam Dei prædestinationem suadendam, Nam sensus spiritualis unius loci Scripturæ probat rem esse de fide, quando in alio loco ejusdem Scripturæ declaratur sensum illum spirituale & mysticum, fuisse intentam à Spiritu sancto: Sicut verbi gratia illud Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo,* licet in sensu literali intelligatur de Agno Paschali, Joann. r. 19. declarat illud in sensu spirituali impletum fuisse in Christo, qui per Agnum Paschalem designatus est.

Secundo respondent alii cum Valentia: Apostolum in hoc solum excludere opera facta ex viribus naturæ, non verò opera gratiæ: vel solum excludere opera facta, sed non prævisa.

Sed contra: Si Paulus solum excluderet opera facta ex viribus naturæ: & non opera gratiæ prævisa, electio non fieret ex vocante & miserante Deo, nec secundum propositum Dei, sed ex operibus, & secundum propositum hominum. Item facilis esset solutio hujus quæstionis, quare Deus elegerit Jacob & non Esau? statim enim diceretur, hoc idem esse, quia in æternitate prævidit opera Jacob facta in gratia, & non opera Esau; & ita non oportuisset Paulum exclamare, & dicere hanc quæstionem esse investigabilem, & reducendam ad solam voluntatem & misericordiam Dei, nam posset facile reduci ad differentiam operum. Unde Divus Augustinus variis in locis rejicit utramque hanc responsionem. Nam Epistola 105. ad Sixtum, exponens hunc locum Apostoli, irridet secundam solutionem, *Quis (inquit) istum acutissimum sensum desuisit? apostolo non videtur hoc quippe ille non vidit, quantum velut obversantia obiecta quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tam sicut isti (scilicet Pelagiani) putant, verum ab solutum que respicit. Hic erat locus dicendi quod isti sentiunt: non autem hoc dicit Apostolus. Et libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum capite septimo sic ait: Propter quod profecto desipit, qui dicente veritate, non ex operibus, sed ex vocante dicitur esse, vos dicitur ex futuris operibus.*

Tom. 11.

A *bus qua Deus illum facturum esse præciebat, Iacob fuisse dicitur, atque ita contradicitur Apostolo dicenti non ex operibus: quasi non posset dicere, non ex presentibus sed ex futuris operibus.*

Primam autem responsionem tangit & impugnat in Enchiridio cap. 98. ubi sic ait circa prædictum locum Apostoli: *Qua in re si futura opera, vel bona huius, vel mala illius, qua Deus utique præciebat, vellet intelligi: nequaquam diceret non ex operibus, sed diceret ex futuris operibus, eoque modo istam solveret quæstionem, imò nullam, quam solve opus esset, faceret quæstionem. Ubi apparet quod sanctus Augustinus excludit quæcunque bona opera, si ve naturæ, si ve gratiæ, si ve existentia, si ve prævisa ut futura ante efficacem electionem prædestinatorum ad gloriam,*

S. V.

Mens Augustini aperitur.

Quamvis ex dictis paragrapho præcedenti non obscure colligatur veritatem quam profitemur, esse de mente Augustini, & oppositum sentientes toto ostio ab ejus principiis aberrare; quia tamen hujus sancti Doctoris sententia, in materia de gratia & prædestinatione, tanti ponderis est & momenti, ut Hormidas Papa in Epistola ad Possessorem Episcopum, & Joannes II. in Epistola ad Aviennum Senatorem, remittant Catholicos ad libros Augustini, ut ibidem videre possint, quid hac in re Romana alleveret Ecclesia; & Suarez Prologom. 6. de gratia capite sexto dicat: *Quidquid in hac materia Augustinus ut certum affirmat, & ad dogmata fidei pertinens, à quolibet sapiente & erudito Theologo, tenendum ac defendendum esse: idem hujus S. Doctoris mentem & doctrinam, oportet hic operosius inquirere, & diligentius investigare.*

In primis ergo sententiam quæ docet electionem prædestinatorum ad gloriam, esse purè gratuitam, & à prævisione meritum independentem, veram & germanam Augustini doctrinam esse, tenent graves Scriptores: Baronius ad annum 409. Sixtus Senensis libro sexto Bibliothec. annot. 252. Cordub libro primo, quæstione 9. Pererius romo 6. disp. selectarum in S. Scripturam disp. 13. Bellarminus, & alii, imò ipse Catharinus, aliique ex Adversariis, dum electionem ad gloriam fieri ex prævisis meritis alleverant, se ab Augustino hac in parte discedere, ingenuè profitentur.

Deinde Augustinum in casu sententia aperte colligitur ex Epistolis Prosperi Aquitani & Hilarii Arelatenfis ad eundem. Nam Prosper in initio Epistolæ proponit quæstionem de electione gratuita ad gratiam independentem à meritis prævisis, & tandem in fine Epistolæ proponit aliam quæstionem, nimirum de gratuita electione ad gloriam per modum intentionis, referens quòd Massilienses dicerent novam esse illam Augustini sententiam, & Patres Augustino antiquiores docuisse electionem ad gloriam non esse omnino gratuitam, sed post prævisa merita & opera facta ex gratia. Augustinus autem non negat hanc esse suam sententiam, & in libris de prædestinatione Sanctorum & de bono perseverantiæ, in quibus respondet Epistolis Prosperi & Hilarii, non conqueritur de Massiliensibus quòd sententiam alienam sibi imposuissent, sed illam tanquam suam diligentissimè explicat, &

C 3

plu